UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei declamatoribus admodum vtilis et necessaria

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Spem adiuuant tria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

Visual Library

uerunt patres noſtri & nō ſunt confuſi, in te ſperauerunt & liberaſti eos. Quartum eſt, quia hominem in præſenti beatificat. Pſal. Beatus uir cuius eſt nomen domini ſpes eius, &c. Prou. Qui ſperat in domino, &c. Iſa. Beati omnes qui ſperant in eum, &c. Quintum, quia in futuro glorificat Pſal. Qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Prou. Qui ſperat in domino ſaluabitur. Rom. Spe enim ſalui facti ſumus, &c.

Pſal. 29 Pro. 16. Iſa. 30. Pſal. 16 Pro. 28 Rom. 9.

Spem adiuuant tria.

PRimum eſt amor directè in deum. Et poteſt diuidi in tres ſpeties. Prima eſt in eo quòd naturaliter amat artifex opus ſuum, ita ut uix poſſit audire quòd ei detrahatur. Vnde ueriſimile eſt quòd creator amat opera ſua, & ſpetialiter hominem quē creauit ad imaginem ſuam. Sap. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Sperare debet homo de eo qui dedit ei ut ſit, quòd paratus ſit dare ut bene ſit. Secunda eſt in eo in quem dominus eſt. Naturaliter homines amant quæ ſua ſunt, & conſeruant ea; & ſi ea perdiderint, gaudent, cum ea recuperant. Vnde

Sap. 11.

uerisimile eſt, quòd Deus uelit ſerua-
re eos, qui boni ſunt, & peccatores
quos perdidit uelit recuperare. ſicut
Luc. 15 apud Lucam habetur parabola de recu-
peratione ouis; gaudium erit in cælo
angelis dei ſuper uno peccatore pæ-
Sap. 11. nitentiam agente, &c. Sap. Parcis om-
nibus quæ tua ſunt. Tertia eſt conſi-
deratio diuinę miſericordiæ. Deus
enim cum ſit ſummè miſericors, non
uult minus miſeros à miſeria libera-
re, quàm ipſi miſeri liberari. Vnde
Auguſ. P. Aug. loquens de illo uerbo, Petite,
& accipietis, ait. Non tantum horta-
retur ut peteremus, niſi dare uellet.
Erubeſcat humana pigritia, plus uult
ille dare, quàm nos accipere; plus uult
ille miſereri, quàm nos à miſeria li-
Auguſ. berari. Idem P. Auguſtinus. Tardius
ſiquidem illi uidetur omni peccato-
ri ueniam dare, quàm omni peccato-
ri accipere. ſic enim feſtinat abſolue-
re reum Dei miſericordia à tormen-
to conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciet
ipſum compaſſio miſeri, quàm ipſum
miſerum compaſſio ſui. Secundum
eſt circa, ea quæ pro Deo agimus, &
diuiditur in duas ſpecies. Prima eſt
circa bona quæ agimus. Bona enim
quæ facimus conſiderata iuuant ſpe.
Pſal. 4. Pſal. Sacrificate ſacrificium, & ſpe-
Grego. rate in domino. Vnde Gregorius. Cu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

opus creſcit, primum fiducia proficit.
Io. Si cor noſtrum non reprehende- 1. Ioã. 3
rit nos, fiduciam habemus ad dominũ,
& quicquid petierimus accipiemus
ab eo, quoniam mandata eius cuſtodi
mus, & ea quæ ſunt placita coram eo
facimus. P. Auguſtinus. Ille ſperat, Auguſ.
qui conſcientiam bonam gerit, quem
uero pungit ſua conſcientia retrahit
ſe à ſpe. Secunda eſt circa mala quæ
pro Deo toleramus. Gregorius. Bo- Grego.
norum mens quò duriora pro uerita-
te tolerat, eò æternitatis præmia ci-
tius ſperat. Tertium eſt circa Dei be-
neficia, quæ ſunt quatuor. Primum
eſt, carnis abdicatio, & incarnatio
Chriſti. quæ magnam ſpem præbet
peccatoribus. Vnde Bernardus. Pu- Bernar.
to iam ſpernere me non poterit Chri
ſtus, os de oſſibus meis, & caro de
carne mea. Et P. Auguſtinus. Sumus Auguſ.
membra eius, & caro eius, ipſe quo-
que caput noſtrum, ex quo totum cor
pus: nemo unquam carnem ſuã odio
habuit, ſed fouet & diligit eam. di-
ligit ergo carnem ſuam, & mem-
bra ſua. Hæcque mihi ſpes uali-
da, omniſque fiducia eſt. Secundum
eſt Chriſti, & matris interpellatio.
Vnde P. Auguſtinus. Meritò, inquit, Auguſ.
mihi ſpes eſt ualida in Chriſto, qui ſa
nabit languores meos per eum, qui

ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin deſpera-
Bernar. rem. Bernardus. Exaudiet utique filius patrem, & exaudiet filium pater, filioli hæc peccatorum, hæc mea maxima fiducia eſt; hæc tota ratio ſpei meæ. Tertium eſt mortis receptio.
Rom. 8. Rom. Qui proprio filio non pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quartum eſt, angelo-
Pſal. 90 rum protectio. Pſal. Angelis ſuis De-
Bernar. us mandauit de te, &c. Vnde D. Bernardus. Super hoc uerbo dicit. Quanta debet tibi hoc uerbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? reuerentiam pro præſentia; deuotionem pro beneuolen-
Hieron. tia; fiduciam pro cuſtodia. Et Hier. Magna eſt dignitas animarum ut unaquæque habeat ab ortu natiuitatis ſuæ in cuſtodia ſua angelum delegatum.
Bernar. Propterea concludebat Bernardus. Quid ſub tantis cuſtodibus timeamus, nec ſuperari, nec ſeduci poſſe! fideles ſunt, prudentes ſunt. Quid timeamus? quid trepidamus? tantum ſequamur eos, adhereamus eis, & in protectione Dei cæli commorabimur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN